



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Vel Ethnicos, quæ recta erant, honori suo præposuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

quàm bonis honores obueniant? 241

ne sine vobis remaneam. Præcepit, & secuti sunt. Quod docuit mater filios, hoc docebat Dominus IESVS Christus istum cui dicebat, Sequere me.

§. V.

Vel Ethnicos, quæ recta erant, honori suo præposuisse.

Par est utique Christianos Numini magis addictos esse, atq; illius honori plus tribuere, quàm Gentiles; qui tamen nec ipsi sæpe, licet alioqui subditi, si quid contra leges & rationem præceptum esset, Principibus suis obedire; immò nec Principes sibi obtemperari voluerunt. Celebratur merito illud Antigoni regis Macedonum, adulatori, omnia regibus honesta iustaq; esse, dicenti, responsum: Sunt (per em) barbarorum duntaxat regibus: at nobis ea duntaxat honesta sunt, quæ honesta sunt: & ea tantum iusta, quæ iusta sunt. Sicut ergo barbari nullo discrimine habent, honestumné, an inhonestum sit aliquid; ita qui sapiunt ad sobrietatem, ad id maximè attendunt, quis sit, qui iubet, & cui primi, cui secundi honores debeantur. Quòd si parentes, si cognati, si domini aliquid imperent, quod Deo sit aduersum, illicò cum Petro & Ioanne dicunt: Si iustum Act. 4. 19

Q est

Manut.
loc. cit.

est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate. Enimvero etiam ipse magistratus, qui recte sentit, nequaquam vult se magis, quam Deum honorari, aut sibi obediri, contra leges Dei. Legimus Antiochum III. ciuitatibus scripsisse: *Si quid per litteras iuberet legibus repugnans, ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset.* Quoties igitur duo, vel plures concurrunt, qui simul eiusdem officij, aut honoris non sunt capaces, utique iustitia distributiua exigit, ut dignior praeferatur. Maximè autem, quando de Religione agitur. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Semper autem quando inter Deum & hominem honoris trutina agitur, ita loquitur cultor pietatis:

Thom. de
Kemp.
lib 3. de
imitat.
Christi
cap. 40.

Est vera gloria, & exultatio sancta, gloriari in te, & non in se: gaudere in nomine tuo, non in propria virtute, nec in aliqua creatura delectari, nisi propter te. Laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum, non meum: benedicatur nomen sanctum tuum, nihil mihi autem attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: In te gloriaber & exultabo tota die, pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis.